Incrementa nouis ornatum tensa per orbem
Solus habe, totis prior dominare fruendo.
Tu mihi cuncta tibi famulentur; maximus ordo
Te parere pio qui subdidit omnia patri.
Non species ullę nec numina uana colantur
Non si quid cęlo sublime nouumque coruscat
Non quęque terris uiuunt formata uel undis.
Non quod forte premens perhibet natura uideri.
Usibus ista tuis non cultibus esse memento.
Precellis factis factorem pronus adora.
Interea sextus noctis primordia uesper
Rettulit alterno depellens tempore lucem
Dumque petunt dulcem spirantia cuncta quietem
Soluitur et somno laxati corporis adam
Cui pater omnipotens pressum prior de soporem
Legit et immisso tardatum pondere sensus
His ut nulla queat sopitas soluere mentes
Non si forte fragor securas uerberet aures
Nec si commoto cęlum nunc intonet aer